

Id enim temporibus nostris maxime necessarium esse constat. Haec autem, ne aedificium sine fundamento struamus, adumbrationem inspirationis et regulae fidei postularunt, quae, qui aliunde sciunt, hic facile praetereunt.

Ut candidatos theologiae ad profundiora studia incitemus iisque fontes ac promptuaria scientiae aperiamus, ampliorem rebus majoris momenti adjunximus bibliographiam. Historiam quoque exegesis, non tantum Christianae, sed etiam Judaicae, prolixius narravimus.

In vocabulis Hebraicis aliisque Semiticis transscribendis morem in Germania plerumque usitatum servavimus; sed **ש** littera q, **נ** quiescens et **נ** in .. quiescens apice flexo **נ** significavimus, aspirationem autem litterarum **נ** et **נ** auditu minus sensibilem in transscribendo negleximus.

Quum ergo librum nescio quam bene, sed certe multis doctorum catholicorum libris consultis diligentissime atque optimo quo potui modo compositum publici juris facio, Spiritum Sanctum auctorem Bibliorum summumque interpretem oro atque obtestor, ut librum ejusque lectores benedicere, quae operi desunt ea gratiae suaे lumine compensare, et labore meo quantumvis indigno ad suam gloriam uti benignissime dignetur.

Datum Budapestini, festo S. Marci evang. anno salutis millesimo nongentesimo secundo.

Auctor.

Prolegomena.

§ 1.

S. Scripturae descriptio.

S. Scriptura est corpus 73 librorum, partim historicorum, partim didacticorum, partim propheticorum, a viris inspiratis scriptorum, historiam oeconomiae salutis et partem revelationis divinae principalem continentium.

1. — *Auctores* S. Scripturae sunt homines summa fide digni, per quos Spiritus Sanctus locutus est et scripsit, eos ad scribendum movens, in scribendo ducens, errores arcens et ubi opus erat veritatem revelans. Libri ergo isti duplēcē habent auctorem: humanum et divinum, duplēcē naturam: humanam et divinam. Scripti sunt per spatium quindecim saeculorum a Moyse usque ad tempora apostolorum.

Vocantur etiam Biblia scil. libri per excellentiam; deinde Scriptura per excellentiam, item S. Litterae. Quum autem ipsa oeconomia salutis in antiquum et novum foedus dividatur, quorum prius redemptionem praeparavit, posterius redemptionis opus perfecit et generi humano applicat: etiam libri sacri tamquam hujus oeconomiae salutis documenta in libros antiqui et novi testamenti seu breviter in Antiquum et Novum Testamentum vel Foedus (*διαθήκη*) dividi solent. In Veteri Test. 46, in Novo 27 libri numerantur. Horum librorum multi nomen auctorum humanorum ipso titulo p̄ae se ferunt; aliorum auctor humanus ignoratur.

2. — Corpus illud librorum inspiratorum A. T. a Christo et apostolis inspiratis divina auctoritate approbatum, item corpus librorum N. T. ab ecclesia Christi infallibili collectum vocatur *canon* sacrorum librorum. Libri sacri quorum divina origo in antiqua ecclesia nunquam in dubium vocata est, dicuntur protocanonicali; illi autem, de quorum divina origine apud Judaeos olim dubitabatur et hodie quoque dubitatur,

vel de quibus in ecclesia antiqua compluribus locis dubia extiterunt, vocantur deuterocanonici. Libri deuterocanonici a protestantibus saltem hodie rejiciuntur; ecclesia tamen catholica traditione divina nixa eos libros omnino paris cum protocanoninis auctoritatis esse profitetur.

Libri qui canone sacrorum librorum in concil. Tridentino dogmatice definito continentur, sunt sequentes.

I. Libri Antiqui Testamenti.

Quinque libri Moysis (Pentateuchus, Torà): Genesis, Exodus, Leviticus, liber Numerorum et Deuteronomium.

Liber Josue.

- » Judicium.
- » Ruth.

Quattuor libri Regum (primi duo etiam libri Samuelis vocati).

Duo libri Paralipomenon (seu Chronicorum).

Liber primus Esdrae.

- » secundus Esdrae (seu liber Nehemiae)
- » Tobiae.
- » Judith.
- » Esther.
- » Job.
- » Psalmorum 150.
- » Proverbiorum.

Ecclesiastes.

Canticum canticorum.

Liber Sapientiae.

- » Ecclesiasticus.

Prophetia Isaiae.

- » Jeremiae.

Threni seu lamentationes Jeremiac.

Prophetia Baruch.

- » Ezechielis.
- » Danielis.
- » Osee.
- » Joel.
- » Amos.
- » Abdiae.
- » Jonae.
- » Michaeae.
- » Nahum.
- » Habacuc.

Prophetia Sophoniae.

- » Aggaei.
- » Zachariae.
- » Malachiae.

Duo libri Machabaeorum.

II. Libri Novi Testamenti.

Evangelium secundum Matthaeum.

- » » Marcum.
- » » Lucam.
- » » Joannem.

Actus apostolorum.

Epistola B. Pauli ap. ad Romanos.

Duae epistolae B. Pauli ap. ad Corinthios.

Epistola B. Pauli ap. ad Galatos.

- » » » Ephesios.
- » » » Philippenses.
- » » » Colossenses.

Duae epistolae B. Pauli ap. ad Thessalonicenses.

- » » » Timotheum.
- Epistola » » Titum.
- » » » Philemonem.
- » » » Hebraeos.

» catholica B. Jacobi ap.

Duae epistolae cath. B. Petri ap.

Tres » » B. Joannis ap.

Epistola cath. B. Judae ap.

Apocalypsis B. Joannis ap.

Praeter libros canonicos exstant libri, partim ante Christum, maxime autem post Christum inter Judaeos, haereticos et Christianos orti, viris sanctis, prophetis vel apostolis adscripti et saepe similis cum libris inspiratis argumenti, qui hodie apocryphi (a protestantibus pseudoepigraphi) vocantur.

3. — *Lingua* originalis librorum A. T. maximam partem est Hebraica, minore ex parte Chaldaica et Graeca.¹ Libri Novi Test.

¹ Chaldaice scripti sunt: Liber Tobiae, Judith (uti videtur), I. Esdr. 4, 8—6, 15. 7, 12—26. Daniel 2, 4—7, 28. Graece scripti sunt: Liber Sapient., II. Mach. et fortasse Dan. 3, 24—90. cc. 13. et 14. Esth. 10, 3 — ad finem. Hebraice scripti graece tantum ad nos pervenerunt: Baruch, Liber filii Sirach (cujus tamen textus Hebr. recentius ex parte inventus est) et I. Machab. (et fortasse Esth. 10, 3 — fin.)

graece scripti sunt, excepto evangelio Matthaei aramaice scripto et fortasse epistola ad Hebr. pariter hebraice seu aramaice scripta. Exstant tamen versiones antiquissimae, quarum celeberrimae sunt: Graeca LXX. virorum seu Alexandrina e saec. III. a Chr., Syriaca (Pešito) e saec. II—IV. post Christum, et versiones Latinae Itala e saec. II. ac Vulgata e saec. IV. post Christum, posterior a S. Hieronymo maxima ex parte confecta.

4. — Biblia antiqua manuscripta quorum plura milia in variis linguis vetustatem tulerunt, vocantur *codices*, quorum praecipui Graeci sunt: Vaticanus (*B*) et Sinaiticus (*N*) e saec. IV., Alexandrinus (*A*) et Parisiensis (*C*) e saec. V. Textus librorum sacrorum toties transcriptus multas mutationes passus est, quae tamen factorum narratorum et doctrinae essentiam minime adulterant. Studium codicum, originali textus formae restituendae intentum vocatur *ars critica*.

§ 2.

Interpretationis et hermeneuticae notio.

Finis studii biblici est, Sacram Scripturam intelligere. Ejus autem intellectui viam parant historia censuraque Bibliorum (introductio seu isagoge historica et critica), deinde linguarum biblicalarum imprimis Hebraicae et Graecae cognitio, tum historia biblica atque archaeologia. Proxime autem ad Bibliorum intelligentiam praeparat *hermeneutica* quae est *scientia interpretandi*.

1. — Est autem *interpretari sensum pandere seu facere, ut aliquid intelligatur*. Sensus est cogitatio vel animi motus signis, praecipue verbis manifestatus. Per se intelligitur in hermeneutica non de interpretatione quorumcunque possibilium ideae signorum sed tantum de interpretatione orationis agi, scilicet verborum ore vel scripto elatorum.

Interpretatio sermonis definitur: *communicatio sensus verborum, seu intimatio idearum auctoris, auditori vel lectori facta*.

Interpretari graece dicitur ἐξηγεῖσθαι i. e. praeire, ducere, explicare, vel ἐξηγεῖσθαι i. e. explicare, vertere, a nomine dei Ἐρμῆς, qui deorum nuntius et interpres habebatur.

Interpretatione fit, ut audiens legensve idem cogitet, quod auctor, quem voce vel scripto locutus est, cogitavit, et sermone significare

intendit. Interpres ergo ideas auctoris e sermone eruit et quasi denuo construit.

Haud raro evenit, ut audiens vel legens orationem non intelligat, id est verborum sonum vel litterarum formam sensibus, imo verborum et phrasium vim animo percipiens, tamen cogitationem auctoris non attingat. Causae ejusmodi dissensionis — nisi sermo ipse sensu careat — in auditore vel lectore sunt, scilicet *a)* defectus attentionis vel ingenii, *b)* ignoratio linguae, *c)* opiniones pravae (educatio), affectus et imprimis inimica voluntas, quae veritati aditum paecludunt, atque aequam rationum deliberationem impediunt, *d)* insufficiens auditoris vel lectoris eruditio. Defectus attentionis et ingenii corrigitur diligentius attendendo, ingenium excolendo, orationem repetendo vel relegendo. Ubi audiens legensve linguam orationis nescit, versione vel sicut olim bene latine dicebatur, interpretatione, opus est. Opiniones praejudicatae deponuntur diligentius rationum consideratione; affectus et prava voluntas corriguntur morum emendatione. Si autem oratio propter defectum notionum, puta rei novitatem sermonis sublimitatem, vel vero auditoris lectoris ignorantiam non intelligitur, tunc interpretatione opus est. Itaque interpretatio duobus modis fieri solet: uno rem ad ingenium auditorum vel lectorum accommodando, altero ingenium eorum ad rem informando. Primum fit, quum res captum superans verbis notis vel intellectu facilibus proponitur; alterum fit, quum menti auditoris vel lectoris notiones ad rem intelligendam necessariae intimantur.

Aliud est interpretari, aliud explicare, aliud explanare, aliud exponere, aliud enarrare. Interpretari est nuntiare vel obscura clare dicere, explicare breviter et quasi implicite dicta evolvere, explanare pro difficilibus verbis faciliora supponere, exponere (vel verbis exponere) cogitationem latentem verbis manifestare vel totum per partes propnere, enarrare est rem prolixo sermone undecumque illustrare. Usus tamen voces illas promiscue adhibet.

Interpretis qua talis non est objectivam veritatem quaerere, sed cogitationem verbis expressam investigare. Non ergo interpretando quaeritur, quid sit verum, sed quid auctor dicere voluerit. Cogitatio dicendo expressa est *veritas hermeneutica*, quae objective aut vera aut falsa esse potest.

Quum interpres sermonem intelligit, unum ei officium incumbit, quod est sensum exponere. Quum autem is, qui orationem interpretari vult, sensum ejus non percipit, tunc primum ipse eum quaerat et reperiat, ut aliis tradere possit. Sensus expositus, ubi opus fuerit, etiam argumentis probandus.

2. — *Hermeneutica* (Ἑρμηνευτικὴ) scil. ἐπιστήμη vel τέχνη ut nomen ipsum indicat, est *scientia interpretationis*; ergo *objective systema, subjective cognitio regularum sensum orationis inveniendi ac proponendi*. Hermeneutica est vera scientia, quia regulas suas ex natura sermonis et hominis ducit, legibusque philologicis, logicis ac psychologicis superstruit. Quin etiam hermeneutica ipsa non est, nisi logica et psychologia ad interpretandum adhibitae. Verum sicut scientia grammaticae ad loquendum, scientia notarum chordarumque ad fidicinandum non sufficit: ita sola regularum hermeneutarum cognitio interpretem non facit. Immo vero oportet, ut scientia hermeneutica frequenti usu vera *ars* fiat, id est habitus seu dexteritas regulas interpretationis applicandi.

Ipse autem actus interpretandi secundum hermeneuticae regulas factus, et nonnunquam etiam opus vel liber interpretans vocatur *exegesis*. Hermeneutica ergo est theoria exegeseos, exegesis autem est usus seu praxis hermeneuticae.

§. 3.

Interpretationis et hermeneuticae species.

1. — Munere interpretis fungi potest sive ipse auctor, sive alius. Patet, auctori proprii sermonis interpreti unum tantum officium incumbere sensum verborum proponendi; alienus autem interpres duplicem habet functionem: sensum inveniendi et proponendi.

Hinc interpretatio est *authentica et docta*.

Authentica (legalis) id est vera et obligatoria est, quae fit ex certa scientia et auctoritate seu potestate. Haec verum auctoris sensum exhibet, et pro vera accipi atque observari debet. Talis est interpretatio ab auctore vel ejus successore vel vicario, conscientia sensus ac legitimo, profecta. Successor autem vel vicarius est persona sive physica sive moralis. Interpretatio ipsius auctoris manifeste est authentica, quia optimus quisque verborum suorum interpres, nisi sensum dictorum postea oblitus esse vel consulto mutasse probetur. Interpretatio autem aliena est authentica, si interpres sententiam auctoris certo novit et potestate interpretandi instructus est. Ubi de scientia et auctoritate interpretis certo constat, interpretatio authentica infallibiliter vera est.

Ab interpretatione authentica aliquantulum differt *mere legalis*, quae ex auctoritate quidem fit sed cum praesumpta tantum scientia.

Interpretatio haec, quae pariter authentica vocatur, locum habet in legibus, quas non auctor, sed successor ejus vel vicarius potestate leges dandi instructus, vel judex supremus in usu forensi interpretatur. Haec interpretatio non est necessario vera, sed rectissima quae haberi potest, et vera esse jure praesumitur, moralemque certitudinem de vero sensu facit. Plerumque etiam objective vera est, et in legibus semper vim juris habet. Omnes ergo ei prudenter acquiescere possunt et debent.

Interpretatio non ex auctoritate, sed ex ratione argumentisque facta vocatur *docta* seu *doctrinalis*, cuius fides ab ingenio, eruditione ac diligentia interpretis, a gravitate argumentorum, et a recto regularum usu dependet.

Sunt, qui circa S. Scripturam a ceteris generibus distinguant interpretationem *traditam*; quam tamen aut ad authenticam aut ad doctrinalem reduci censemus, prout auctores illius interpretationis traditionem authenticam vel privatas sententias sequuntur.

2. — Hermeneutica est aut *communis seu universalis* aut *peculiaris*. Illa proponit regulas, ad quas omnis oratio, sive ore sive scripto prolata et qualemcumque materiam tractans interpretanda est; haec autem cujusdam librorum generis, e. g. librorum sacrorum (herm. biblica), juris codicum (herm. juridica), vel certi alicujus libri interpretationem praeeceptis suis monstrat ac dirigit.

Ipsa *hermeneutica biblica* est peculiaris et definitur: *scientia S. Scripturam bene interpretandi*; vel accuratius: *systema seu notitia regularum, per quas verus S. Scripturae sensus invenitur et proponitur*. Objectum materiale hermeneuticae biblicae est S. Scriptura, objectum formale autem sensus biblicus.

Sicut quaevis hermeneutica peculiaris, ita etiam biblica est aut *generalis* aut *specialis*. Generalis docet leges ad totum aliquod librorum genus vel corpus, e. g. ad omnes libros sacros, vel ad omnes legum codices pertinentes; specialis vero interpretationem plurium ejusdem generis librorum vel plane singulorum librorum vel libri partium regulis suis moderatur. Hermeneutica specialis est e. g. quae regulas interpretationis psalmorum, prophetarum, epistolarum Paulinarum vel Apocalypsis vel historiae creationis proponit.

Si hermeneutica specialis tantum ad singularem libri partem spectat, vocari potest *particularis*, cuius pracepta in introductione speciali vel in commentariis traduntur.

Generalis autem hermeneutica aut tantum regulas toti librorum generi communes proponit, aut vero regulis communibus regulas etiam

speciales ad singulos libros pertinentes saltem praecipuas superaddit, ita quasi multas hermeneuticas speciales complectens. *Hermeneutica nostra est generalis sensu posteriore.* Deinde sicut in logica species notas generis, ita hermeneutica peculiaris communem, specialis autem generalem continet ac supponit, ad eamque regulas peculiares vel speciales e lingua, argumento, auctore, fine librorum derivatas addit.

Distingui adhuc potest hermeneutica *naturalis ab artificiosa*, sicut logica naturalis et artificiosa inter se distinguuntur. Hermeneutica naturalis est complexio vel cognitio illarum interpretationis regularum, quas sana ratio non edocta sua sponte per leges linguae et cogitationis dictat. Hermeneutica autem artificiosa est summa vel scientia regularum interpretationis plena, ordinata, ad causas revocata, argumentis firmata et institutione tradita.

Nonnulli adhuc distinxerunt hermeneuticam *A. et N. Testamenti*, quae utraque, ut patet, specialis est. Haec tamen distinctio, quum praesumat naturam utriusque Testamenti essentialiter diversam esse, nobis minime placet. Revera omnium librorum sacerorum eadem est natura inspirata, nec valde diversus character humanus, quum omnium auctorum sacerorum eadem sit natio, lingua, idem plerumque ingenium et cultura. Eadem ergo in essentia principia eademque leges ad omnes libros sacros pertinent. Si qua est linguae atque argumenti diversitas, ejus in ipsa hermeneutica generali ratio haberi potest et debet. Ipsa autem hermeneuticae utriusque Testamenti distinctio fons est superfluae principiorum ac legum generalium repetitionis, et impedit, quominus res utriusque Testamenti communes et invicem relatae plenius atque clarius pertractentur.

§ 4.

Hermeneuticae biblicae necessitas.

1. — Hermeneutica omnibus, qui studio biblico operam dare volunt, necessaria est. S. enim Scriptura tum ob doctrinam, quam continet, incompletam, tum ob rei tractatae altitudinem, tum ob suam antiquitatem, patriam remotam et linguam mortuam atque alienam, multis in locis ipsis rei peritis obscura est. Interpretationem igitur, ne in nimias diversissimasque abeat sententias, neve in re tanti momenti tamque difficulti perniciosos pariat errores, ad regulas rationis artisque perfici oportet. Accedit, quod plurimae quaestiones theologicae circa sensum S. Scripturae agitantur; ergo in hermeneutica radices habent; ideo videmus contro-

versias inter Christianos et Judaeos, Christianos et rationalistas, catholicos et protestantes ad quaestiones hermeneuticas reduci.

Necessitas autem hermeneuticae talis ac tanta est, qualis et quanta logicae. Profecto sicut recta cogitatio sine logica (artificiali), natura sola duce ac magistra, ita recta interpretatio sine hermeneutica (artificiali) per solam hermeneuticam naturalem hominibus innatam fieri potest. At sicut logica, ita etiam hermeneutica naturalis in casibus, dumtaxat facilitioribus sufficit, neque tunc omne erroris periculum removet. Et procul dubio iidem homines rectius cogitant vel sermonem interpretantur, et facilis errores detegunt atque evitant, si praeter logicam vel hermeneuticam naturalem etiam regulis scientiae artisque imbuti sunt. — Immo hermeneutica artificiosa magis adhuc ad interpretationem necessaria est, quam studium logicum ad cogitandum. Interpretatio enim non solum a legibus menti saltem habitualiter insitis dependet, sicut cogitatio, sed maximam partem a regulis e consuetudine sermonis et historia colligendis; ideo interpretationis scientia nonnisi ex positiva institutione hauriri potest. Paucissimi certe sunt tanto ingenii acumine praediti, ut sine disciplinae auxilio in locis quoque difficillimis interpretandis expediti versentur ac securi.

2. — Fortasse dixerit quispiam, interpretationem antiquorem esse quam hermeneuticam, et Sanctos Patres sine disciplina hermeneutica optimos plane fuisse Scripturae interpretes.

Concedimus quidem libros hermeneuticos tempore Patrum antiquorum non extitisse, — sed negamus regulas interpretationis defuisse. Immo a tempore S. Augustini etiam liber de regulis interpretationis adfuit. Ceterum meminerint, qui haec objiciunt, Patribus hermeneuticae artificiosae doctrinam dupli ex causa minus quam nobis fuisse necessariam. Patribus enim saltem Graecis lingua multorum sacerorum librorum erat vernacula, Syris lingua Hebraica cognata; res autem biblicae nobis alienae et antique, iis erant familiares. Et quod maximum est, traditio exegetica eo tempore sive ore sive scriptis postea peritulis conservata abundabat et Patribus verum Scripturae sensum sine theoria regulisque exhibebat.

Nec mirum, quod hodie non obstante doctrina hermeneutica multae sunt opiniones interpretum. Causae hujusmodi dissensionis sunt tum documenta hermeneutica nonnunquam insufficientia, tum diversa principia hermeneutica, quibus interpretationes nituntur, tum multitudine fere innumerabilis interpretum, eorumque ingenium, eruditio, sensus